

COMMENTARIUS.

Quæstio hæc, prout a D. Thom. proponitur, magis pertinet ad disputationem de causis gratiæ, quam de causis sacramentorum; eam tamen hoc loco inseruit, ut ex potestate, quam Christus habuit ad conferendam gratiam, explicaret eam, quam habuit ad instituenda sacramenta. Sed de hac re ex professo disseruimus in 1 tomo hujus 3 part., disput. 47, sect. 4, et ideo hoc loco non erit necesse plura addere; littera enim D. Thom. per se satis perspicua est.

ARTICULUS IV.

Utrum Christus potestatem suam, quam habuit in sacramentis, potuerit ministris communicare (4, d. 5, quæst. 1, art. 2, et art. 3, quæst. 1 et 2).

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod Christus potestatem suam, quam habuit in sacramentis, non potuerit ministris communicare. Ut enim argumentatur Augustinus contra Maxim. (lib. 3, cap. 7, ad fin., tom. 6): Si potuit et non voluit, invidus fuit. Sed invidia longe fuit a Christo, in quo fuit summa plenitudo charitatis. Ergo cum Christus non communicaverit suam potestatem ministris, videtur quod non potuerit communicare.

2. Præterea, super illud Joan. 14: Majora horum faciet, dicit Augustinus (tract. 72 in Joan., post. med., tom. 9): Prorsus majus hoc esse dixerim, scilicet, ut ex impio justus fiat, quam creare cælum et terram. Sed Christus non potuit communicare discipulis, quod crearent cælum et terram. Ergo neque quod justificarent impium. Cum igitur justificatio impii fiat per potestatem Christi, quam habet in sacramentis, videtur quod potestatem suam, quam in sacramentis habuit, non potuerit ministris communicare.

3. Præterea, Christo, in quantum est caput Ecclesiæ, competit, ut ab ipso gratia derivetur ad alios, secundum illud Joannis 1: De plenitudine ejus nos omnes accepimus. Sed hoc non fuit aliis communicabile, quia sic Ecclesia esset monstrosa, multa capita habens. Ergo videtur quod Christus potestatem suam non potuerit ministris communicare.

Sed contra est, quod super illud Joan. 1: Ego nesciebam eum, dicit Augustinus (tract. 5 in Evang. Joan., non multum ante med.,

tom. 9), quod non noverat potestatem baptismi ipsum Dominum habiturum, et sibi retenturum. Hoc autem non ignorasset Joannes, si talis potestas communicabilis non esset. Potuit ergo suam potestatem Christus ministris communicare.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est (art. præced.), Christus in sacramentis habuit duplicem potestatem. Unam auctoritatis, quæ competit ei secundum quod Deus, et talis potestas nulli creaturæ potuit communicari, sicut nec divina essentia. Aliam potestatem habuit excellentiæ, quæ competit ei secundum quod homo. Et talem potestatem potuit ministris communicare, dando scilicet eis tantam gratiæ plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus, ut ad invocationem nominum ipsorum sanctificarentur sacramenta, et ut ipsi possent sacramenta instituere, et sine ritu sacramentorum effectum sacramentorum conferre solo imperio. Potest enim instrumentum conjunctum, quanto fuerit fortius, tanto magis virtutem suam instrumento separato tribuere, sicut manus baculo.

Ad 1 ergo dicendum, quod Christus non ex invidia prætermisit potestatem excellentiæ Ecclesiæ ministris communicare, sed propter fidelium utilitatem, ne in homine spem ponerent, et ne essent diversa sacramenta, ex quibus divisio in Ecclesia oriretur; sicut apud illos, qui dicebant: Ego sum Pauli, ego autem Cephæ, ego vero, etc., ut dicitur 1 ad Corinth. 1.

Ad 2, dicendum, quod objectio illa procedit de potestate auctoritatis, quæ convenit Christo secundum quod est Deus, licet et potestas excellentiæ possit auctoritas nominari, per comparisonem ad alios ministros. Unde super illud 1 ad Corinth. 1: Divisus est Christus? dicit Gloss. (ord., ibid.), quod potuit eis dare auctoritatem baptismi, quibus contulit ministerium.

Ad 3, dicendum, quod ad hoc inconveniens evitandum, ne scilicet multa capita in Ecclesia essent, Christus noluit potestatem suæ excellentiæ ministris communicare. Si tamen communicasset, ipse esset caput principaliter, alii vero secundario.

COMMENTARIUS.

Quam vim habeat solutio D. Thomæ. — Hanc quæstionem tetigimus etiam loco supra citato; et iterum in sequenti disputatione

SECTIO I.

Utrum omnia sacramenta fuerint a Deo, vel a Christo Domino immediate instituta.

1. Prima sententia est hæreticorum hujus temporis, qui solum duo sacramenta dicunt esse a Christo instituta, quia de his tantum existimant fieri mentionem in Scriptura, et reliqua, quæ in Scriptura non sunt expressa, vocant traditiones humanas. Sed si quis recte consideret, isti non negant, Christum instituisse omnia sacramenta, quæ in lege nova esse existimant, sed errant circa numerum sacramentorum. Contra quorum errorum quæst. 65 disputandum est.

2. Secunda sententia est quorundam catholicorum, qui negarunt, Christum immediate instituisse omnia sacramenta, præsertim confirmationem, et extremam unctionem. Sed quia hujusmodi opiniones commodius tractabuntur, disputando de singulis sacramentis, ideo nunc, illis prætermisissis, breviter est definienda veritas. Et prius dicemus de sacramentis novæ legis, postea de reliquis.

3. Omnia sacramenta a Christo immediate instituta. — Dico primo: Christus Dominus immediate ac per se ipsum instituit omnia sacramenta novæ legis. Conclusio est omnino certa ex definitione Concil. Trident., sess. 7, can. 1, ubi sic inquit: Si quis dixerit sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit. Ubi prætermisit Concilium illam particulam, immediate, et per se ipsum, et ideo non dixi absolute, conclusionem esse de fide, tamen hanc fuisse Concilii mentem vix potest dubitari. Primo ex proprietate sermonis. Nam quæ Christus immediate non præcepit, etiam si ab Ecclesia præcipiantur per potestatem ab ipso acceptam, non dicuntur esse præcepta a Christo, sed ab Ecclesia; ergo eadem ratione si non Christus immediate, sed Ecclesia per potestatem ab ipso acceptam, instituisset vel omnia, vel aliqua sacramenta, non posset proprie ac vere simpliciter dici, omnia sacramenta esse a Christo instituta. Cum ergo Concilium hoc absolute doceat, plane loquitur de immediata institutione. Secundo, quia idem Concilium eadem sess., can. 13, longe aliter loquitur de cæremoniis, seu ritibus sacramentalibus, qui in solemnibus sacramentorum administratione adhiberi solent, quos ab Ecclesia approbatos esse dicit, et consuetudine receptos, sentiens hujusmodi ritus esse ab

eam attingemus; nunc, quod ad litteram D. Thomæ attinet, solum occurrit considerandum, quid D. Thomas respondeat secundo argumento, quod in hunc modum proposuerat. Majus est justificare impium, quam creare cælum et terram; sed Christus non potuit communicare ministris, quod crearent cælum et terram; ergo nec quod justificarent impium. Respondet autem, argumentum hoc procedere de potestate auctoritatis, quæ convenit Christo secundum quod est Deus. Quæ solutio non videtur evacuare totam argumenti difficultatem. Nam eadem proportione urgeri potest argumentum, quia majus est justificare, quam creare; sed potestas instrumentalis creandi non potest communicari; ergo nec potestas instrumentalis justificandi. Cui argumento, si vera sunt quæ supra diximus, facile responderi potest, negando minorem; sed juxta mentem D. Thomæ dicendum videtur, majorem propositionem intelligentem esse de potestate justificandi per propriam auctoritatem, non vero de potestate instrumentaria. Et ratio reddi potest, quia licet creatio et justificatio æqualem potentiam requirant in principali operante, justificatio tamen est opus majoris misericordiæ, ut Augustinus dixit, tract. 72 in Joan. Atque ita in causa instrumentaria non reperitur hic excessus respectu justificationis, et aliunde creationis opus (juxta hanc sententiam) habet specialem difficultatem propter modum, quo fit ex nihilo, et sine concursu subjecti; sed de hoc alias.

DISPUTATIO XII.

DE CAUSA INSTITUENTE SACRAMENTA.

Quoniam sacramenta non sunt res, aut signa mere naturalia, sed ex impositione pendunt, ideo duplicem causam requirunt, alteram quodammodo remotam et primam, quæ illa ad significandum imponat, et consequenter eorum essentiam seu essentialia principia instituat. Alteram proxime efficientem, et applicantem sacramentum. De priori egit D. Thomas in his articulis, de posteriori vero in sequentibus, quorum materiam in sequent. disput. comprehendemus. Nunc de priori causa duo breviter tractanda sunt: primum de facto, quæ fuerit. Deinde de possibili, quæ potuerit esse causa institutionis sacramentorum.

Ecclesia approbata et instituta per potestatem a Christo acceptam, ut expressius dixit, sess. 21, cap. 2; ergo sentit, sacramenta non hoc modo, sed immediate fuisse a Christo instituta. Propter hanc enim causam longe aliter de sacramentis, quam de sacramentalibus loquitur. Quod egregie confirmari potest ex illo capite, sess. 21, ubi ait, *perpetuo fuisse in Ecclesia potestatem, ut in sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, posset ea statuere, vel mutare, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, et locorum varietate magis expedire judicaret.* In quibus verbis illud maxime ponderandum est: *Salva illorum substantia*, quo aperte docet Concilium, Ecclesiam nullam habere potestatem ad mutandam substantiam sacramentorum, utpote, quod non fuerint ab ea proxime instituta, neque in ea ullam potestatem accepit. Supponit ergo, Christum ipsum tradidisse Ecclesie sacramentorum substantiam, eamque immutabilem esse voluisse. Hoc autem ipsum fuit, sacramenta immediate instituere. Denique de institutione sacramentorum, quod fuerit a Christo mediate vel immediate, nullum erat dubium, neque aliquis unquam negavit, omnia sacramenta esse a Christo instituta alterutro ex dictis modis. Quod ergo ab aliquibus revocabatur in dubium, an scilicet omnia essent a Christo immediate instituta, voluit docere Concilium. Et ideo inferius, sess. 24, can. 4, de extrema unctione, de qua maxime dubitari poterat, definit, illam esse a Christo institutam, et a S. Jacobo promulgatam. Qua distributione satis declarat, se loqui de immediata institutione.

4. Secundo, hæc definitio Concilii habet fundamentum in Scriptura, in qua institutiones duorum sacramentorum a Christo traditas clare et expresse habemus, scilicet baptismi, et Eucharistiae, Matth. 26 et 28; de duobus vero aliis, scilicet poenitentia, et Ordine, quamvis non sit tam aperta materiae et formæ expressio, tamen de poenitentia satis significata est illis verbis, Joan. 20: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.* De Ordine vero in illis: *Hoc facite*, Matth. 26; et ex his a paritate rationis intelligimus, reliqua omnia, quæ sunt vera ac propria sacramenta, eodem modo esse a Christo instituta, quamvis eorum institutio scripta expresse non sit, quia ex traditione Ecclesie habemus in hoc omnia sacramenta esse æqualia, atque omnia pertinere ad Ecclesie fundamenta, quæ immuta-

bilis esse oportuit. Et confirmatur, quia si aliquis præter Christum potest existimari institutor alicujus sacramenti, maxime Apostoli; sed Apostoli in Scriptura non dicuntur institutores, sed dispensatores sacramentorum, et ministri Christi, 1 ad Cor. 3: *Quid est Paulus? Quid vero Apollo? Ministri sunt ejus, cui credidistis; et cap. 4: Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei; 1 Pet. 4: Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.*

5. Tertio, ex Patribus: Ambrosius, 4 de Sacram., cap. 4: *Auctor sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus?* Augustinus, epist. 118, cap. 4: *Primum (inquit) tenere te volo Dominum nostrum Jesum Christum levi jugo suo nos subdidisse, et sarcinæ levi. Unde sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit, sicuti est baptismus, Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis et sanguinis ipsius; et si quid aliud in Scripturis canonicis commendatur.* Quæ ultima verba cum debito moderamine interpretanda sunt. Videtur enim eis August. significare, solum ea sacramenta esse a Christo instituta, quæ in Scriptura continentur. Et difficultatem augent verba, quæ paulo post subdit: *Illam autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, atque statuta retineri.* Hæc vero ultima verba in primis non sunt intelligenda de sacramentis; nulla enim sunt (ut dixi) ab Apostolis, vel Conciliis instituta; sed de aliis quibusdam cæremoniis, quas universa servat Ecclesia, ut sunt celebratio Paschatis, et aliæ similes, in quibus Augustinus ponit exemplum. Deinde non est universaliter intelligendum, omnia, quæ in Scriptura sacra non continentur, esse ab hominibus instituta, et non immediate a Christo; nam aliqua potuerunt Apostoli ab ipsius Christi ore accipere, et Ecclesie tradere, etiam si scripta non sint, ut docuit hoc loco D. Thomas, art. 2, ad 1, dicens, omnia, quæ sunt de necessitate sacramentorum, esse a Christo instituta, et licet non sint omnia tradita in Scripturis, ea tamen habere Ecclesiam ex familiari Apostolorum traditione. Quod ideo D. Thomas dixit, quia licet omnia sacramenta habeant in Scriptura ali-quod fundamentum, non tamen omnium in-

stitutio est ibi sufficienter expressa, seclusa traditione.

6. Dices, si ea, quæ traditione habentur, interdum creduntur manasse immediate a Christo, interdum vero ab Apostolis, vel Ecclesia, quomodo judicare possumus, quando traditio est prioris generis, aut posterioris? nam ex sola antiquitate discerni non possunt. Quanquam enim Augustinus, lib. 4 de Baptismo, cap. 24, dicat: *Quod universa tenet Ecclesia, nec a Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur;* licet (inquam) hoc verum sit, fieri tamen potest, ut hæc nitantur auctoritate Apostolica, aut tanquam promulgante Christi voluntatem et institutionem, aut tanquam instituentem et ordinantem. Et in hoc dijudicando magna est difficultas. Quia ex sola antiquitate, ut dixi, discerni non potest. Et ideo observanda primo est materia traditionis. Nam si pertineat ad substantialia fundamenta fidei seu Ecclesie, signum est ab ipso Christo manasse immediate, quia solus ipse est auctor fidei et Ecclesie; et hujusmodi est traditio, de qua nunc agimus. Deinde ipsamet traditio consulenda est; ipsa enim seipsam manifestat, qualis sit, quia nimirum simul tradit et docet suam originem. Ut in præsentem, non solum ex traditione habemus sacramenta, sed etiam eorum originem, scilicet Christi institutionem. Denique Ecclesie auctoritate, et definitione, seu communi consensu, de origine uniuscujusque traditionis judicandum est. Atque in hunc modum exponendus etiam est alius locus Augustini, lib. 3 de Doctr. Christ., cap. 9, ubi agens de sacramentis novæ legis, inquit: *Quædam pauca pro multis, eademque factu facillima, et intellectu augustissima, et observatione castissima, ipse Dominus, et Apostolica tradidit disciplina.* Intelligit enim Dominum tradidisse, ut eorum auctorem, Apostolos vero, ut promulgatores. Est etiam alius locus non facilis apud Cyprianum qui in eumdem sensum trahi, ac pie exponi debet. Nam in serm. de Lotione pedum, postquam de Eucharistiae sacramento rectissime dixit: *Ipse summus sacerdos sui est sacramenti institutor, et auctor,* subdit deinde: *In cæteris homines Spiritum Sanctum habuere doctorem, et sicut par est Spiritui Sancto et Christo divinitas, ita in suis institutis æqua est auctoritas et potestas, nec minus ratum est, quod dictante Spiritu Sancto Apostoli tradiderunt, quam, quod ipse tradidit, et in sui commemorationem*

præcepit. Qui locus primum ita potest exponi, ut licet in illis primis verbis: *Ipse summus sacerdos sui est sacramenti institutor et auctor,* in singulari de sacramento loquatur, non tamen de uno definito, sed de quolibet, atque adeo de omnibus sacramentis novæ legis; nam ibidem plane docet, baptismum, poenitentiam, et alia esse a Christo instituta. Cum ergo subdit, *reliqua tradita esse ab hominibus Spiritu Sancto dictante,* non intelligit de sacramentis, sed de aliis ritibus et cæremoniis. Vel si aliqua est constituenda differentia inter Eucharistiam et alia sacramenta, non est ponenda in institutione, seu materiae et formæ designatione, sed in promulgatione et usu. Nam sacramentum Eucharistiae, non solum per se instituere, sed etiam per se conficere Christus voluit, quod in nullo alio sacramento fecisse constat. Nam, licet probabile sit, aliquos per se ipsum baptizasse, id tamen in Scriptura non legitur, et quamvis etiam Apostolos sacerdotes ordinaverit, non tamen proprie conferendo sacramentum, sed per excellentiæ potestatem, illis verbis: *Hoc facite, etc., et illis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remisistis peccata remittuntur eis.* Fuit etiam in hoc singulare Eucharistiae sacramentum, quod non solum Christus tradidit, sed etiam accepit. Denique advertit recte D. Thomas, in 4, dist. 23, quæst. 1, art. 4, quæstiunc. 3, ad 1 et 2, in Scriptura explicatius tradita esse quædam sacramenta, quæ sunt præcipua, et magis necessaria; alia vero per Apostolos fuisse tradita, quamvis a Christo fuerint etiam instituta; et ibidem pie exponit Catholicos auctores dicentes, quædam sacramenta esse ex institutione Apostolorum, quod per institutionem intelligant promulgationem.

7. Quarto, afferre possumus rationes et congruentias, ob quas Christus hanc institutionem sacramentorum sibi soli reservavit. Primo, quia hæc institutio pertinet ad quamdam excellentiæ potestatem, quam decuit soli humanitati Christi communicari propter singularem ejus dignitatem, et excellens meritum. Nunc enim non agimus, an hæc potestas aliis hominibus communicari potuerit; et ideo non utimur rationibus sumptis ex rei possibilitate, sed ex decencia. Secundam indicat D. Thomas hic, art. 4, ad 1, dicens, *Christum per se solum instituisse sacramenta propter fidelium utilitatem, ne in homine spem ponerent.* Unde, sicut fides Christi Dei hominis est necessaria ad salutem, et in lege nova oportet ut sit explicita, ita etiam decuit, ipsum esse

auctorem sacramentorum, in quibus fit hujus fidei professio, et per quæ applicatur hominibus gratia, et justitia propter merita Christi. Tertiam addit D. Thomas eodem loco, scilicet, ne varia sacramenta multiplicarentur, ex quo facile nasci poterant divisiones et schismata in Ecclesia. Quartam addit ibid., solut. ad 3, quia solus Christus est caput Ecclesiæ, ejusque institutor et auctor, et ideo ad eum pertinuit illius jacere fundamenta, et dare sensibilia signa, quibus homines in hac Ecclesia congregarentur, et ab aliis congregationibus secernerentur. Nam licet sacramenta sola non sufficiant ad discernendam Ecclesiam, et ad veritatem et unitatem ejus judicandam, nisi simul alia concurrant, præsertim conjunctio cum Christi Vicario in terris per fidem et obedientiam, sunt tamen unum ex præcipuis signis et maxime necessariis ad fideles in uno corpore Ecclesiæ congregandos, ut Augustinus dixit 19 contra Faust., cap. 11, et ideo fuit valde conveniens per Christum immediate tradi.

8. *Sacramenta veteris legis omnia a Deo immediate instituta.* — Dico secundo: sacramenta veteris legis omnia fuere ab ipso Deo immediate instituta. Conclusio est certa, nam de circumcisione constat ex Genes. 17, de reliquis vero ex toto Exodo, et Levitico. Nam sicut illa lex divina fuit, ita sacrificia, et sacramenta ejus ab ipso Deo sunt tradita. Nam quod Joan. 1 dicitur, *lex per Moysen data est*, intelligitur tanquam per ministrum, et promulgatorem tantum; et ideo semper in Exodo et Levitico præmittitur: *Dixit Dominus ad Moysen*; et eadem ratione non refert, quod per Angelos data fuerint illa sacramenta, sicut etiam per eos data fuit illa lex, teste Paulo, quia etiam ipsi non erant nisi ministri et legati, per quos Deus suam voluntatem ostendebat. Institutio ergo ipsa divina fuit, solumque Deum habuit proprium auctorem. Ratio hujus assertionis præcipua est, quia Deus voluit lege, ac cæremoniis a seipso latis, populum illum singulariter sibi conjungere, et a ritu gentilium segregari. Deinde, quia quod ad circumcisionem attinet, cum in ea danda esset gratia ad remittendum originale peccatum, necessaria erat auctoritas, et promissio divina; quod vero spectat ad alia sacramenta illius legis, quamvis hoc sensu vacua essent, quod in eis non daretur gratia præter meritum suscipientium, erant tamen quodam modo grava mysteriorum et sacramentorum novæ legis, quæ in illis præfigurabantur, et præ-

mittebantur, et ideo etiam in illorum institutione erat necessaria divina sapientia, et auctoritas: illa, quæ futura mysteria cognosceret et accommodatis signis posset indicare; hæc, quæ potestatem haberet promittendi talia mysteria, et gratiam per sacramenta legis novæ conferendam.

9. *Exce Mentia institutionis nostrorum sacramentorum.* — Dices: ergo quoad institutionem et auctorem ejus fuerunt digniora vetera illa sacramenta quam nova, quia illa tradita sunt a Deo, ut Deus est per divinitatem; hæc vero a Christo homine per humanitatem. Respondetur negando consequentiam, quia licet Christus per humanitatem instituerit nostra sacramenta, hoc tamen non excludit, quin prima et principalis causa, et ratio hujus institutionis fuerit voluntas divina, ad quam Christus ut homo suam humanam voluntatem conformabat; atque ita in hoc est quædam æqualitas inter vetera et nova sacramenta; in hoc autem nostra superant, quod illa per purum hominem immediate data sunt; hæc vero per hominem Deum. Item, quod circa illorum institutionem, nullam potestatem, vel auctoritatem habuit ille homo, per quem a Deo data sunt, sed nudum ministerium promulgandi voluntatem divinam; in nostris vero sacramentis instituendis, simul cum divina voluntate et auctoritate, intercessit voluntas Christi hominis, qui etiam ut homo, id est, in humanitate sua habuit potestatem excellentiæ, qua, sicut potest leges ferre, et gratiam dare, ita etiam sacramenta potuit instituere, et gratiam per eam dandam promittere, et ad ea suscipienda obligare. Quod quidem pertinet ad dignitatem humanitatis assumptæ, et sacramentorum dignitatem non minuit, sicut, quod nunc detur gratia per sacramenta, pertinet ad ipsorum sacramentorum dignitatem, et nihil minuit de perfectione et dignitate ipsius gratiæ, cum semper principalis ejus auctor sit Deus.

10. *Immediatus sacramenti legis naturæ auctor fuit Deus.* — *Objectio.* — *Responsio.* — Dico tertio: etiam sacramentum legis naturæ fuit ab ipso Deo immediate institutum. Contra hanc assertionem videtur scribere Soto, in 4, dist. 5, quæst. 1, art. 2, qui in hoc ponit differentiam inter legem naturæ, et veterem ac novam, quod in his sunt sacramenta a Deo instituta, non vero in illa. Quia sacramenta (inquit) illius legis, neque habebant virtutem conferendæ gratiæ, nisi implicite et valde obscure. Sed ipse procedit in ea sen-

tentia, quæ negat fuisse in ea lege institutum externum ac sensibile remedium originalis peccati; tamen supponendo, ut supra docuimus, fuisse in ea lege aliquod sacramentum, in quo dabatur gratia et debebatur originale peccatum, necessario dicendum est, illud mansisse ex divina institutione, quia nullus poterat talem medicinam adhibere peccato originali, nec gratiam sub tali signo promittere, nisi solus Deus, vel ex commissione ejus; non potest autem apparenti aliquo fundamento dici hoc fuisse alicui homini commissum; nam si hoc in lege veteri, et nova factum non est, nec fieri decuit, multo minus in lege naturæ fieri oportebat. Dices: tunc non fuit a Deo determinatum aliquod signum, sed voluntate humana determinabatur, et verisimile est, ut supra dixi, fuisse tunc potestatem in fidei republica definiendi hujusmodi signum seu cæremoniam, et obligandi fideles ad utendum illo signo et non alio; ergo institutio talis signi erat humana et non divina. Respondetur, argumentum solum concludere, institutionem Dei non fuisse ejusdem modi, cujus fuit in lege veteri, vel nova, non tamen quod non fuerit divina institutio; Deus enim voluit et instituit, ut signo aliquo sensibili applicaretur remedium originalis peccati per externam fidei professionem, et applicationem, in qua gratia daretur; hoc enim non fuit inventum humanum, sed divinum. Liberum autem reliquit hominibus, ut hoc, vel illo signo uterentur. Unde solum fit, determinationem signi fuisse ex voluntate humana, vel privata, vel publica; non tamen ipsam sacramenti institutionem.

SECTIO II.

Utrum potuerint sacramenta ab alio, quam a Deo institui.

1. Ratio dubitandi esse potest, quia verum ac proprium sacramentum (de quo solum agimus) oportet ut sit certum, atque infallibile signum gratiæ, vel præsentis, vel saltem futuræ; sed nullus potest imponere signum certum gratiæ, nisi Deus, quia solus ipse potest eam dare aut promittere; ergo solus ipse potest sacramenta instituere.

2. Propter hanc rationem nonnulli Theologi absolute negant, potuisse Deum communicare creaturæ facultatem instituendi sacramenta. Ita sentit Scot., in 4, dist. 1, quæst. 3, art. 2; Gabr., quæst. 2, art. 3, dub. 2; Durand.,

dist. 2, quæst. 4. Quod si objicias, posse Deum committere voluntati alicujus hominis, ut suo arbitrio instituat, et promittat gratiam dandam sub aliquibus signis sensibilibus, quæ ipse arbitrio suo designaverit. Respondent, etiam si hoc faciat Deus, semper tamen hujusmodi gratiæ effectum pendere ex divina voluntate; et ideo, etiam si id fiat, non dari homini potestatem ad instituenda sacramenta, sed tantum ad determinandum signum, ad cujus præsentiam Deus vult dare gratiam, vel illam aliquando dandam promittere. Quod magis explicat Scotus, in 4, d. 2, quæst. 1, ex his, quia solus Deus determinat se ad causandum effectum sibi proprium, quia, si posset ab alio determinari, jam esset causa secunda respectu ejus; effectus autem gratiæ, quem sacramenta significant, est proprius solius Dei; ergo solus ille potest se determinare ad causandum talem effectum; atque adeo a sola divina voluntate possunt fieri certa aut efficacia signa gratiæ. Quæ ratio si quam habet efficaciam, eodem modo procedit in Christo quoad humanam ejus voluntatem; atque ita eodem modo de illa sentit ac loquitur Scotus.

3. *Non quidem primaria, at delegata potestas sacramenti condendi communicari potest puro homini.* — *Facultas aliis gratiæ conferendæ communicabilis est.* — Sed quamvis fortasse quæstio sit de modo loquendi, dicendum simpliciter est, potuisse Deum dare puro homini auctoritatem instituendi sacramenta, non quidem primariam, ac principalem, hæc enim incommunicabilis est, sed ministerialem, et quasi delegatam. Hæc est sententia D. Thom. hic, art. 4, quem sequuntur omnes Thomistæ, et idem tenet Richard., in 4, d. 5, art. 1, q. 3, et ibi Bonav., art. 3, quæst. 1, et videtur sententia August., tr. 5 in Joan., dicentis: *Potuit autem Dominus noster Jesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui servo suo, ut daret baptismum suum tanquam vice sua, et transferre se baptizandi potestatem, et constituere alicui servo suo, et tantam vim dare baptismi translato in servum, quantam vim haberet baptismus datus a Domino.* Ex quibus verbis ratione declaratur hæc sententia, quia in primis certum est, nullam creaturam posse vi ac potestate sua naturali instituere sacramenta, quæ sint causæ efficaces gratiæ, aut infallibilia signa illius, nisi supposita divina promissione, vel specialiter, vel generaliter facta tali creaturæ, conferendi gratiam, vel